

De morbis linguae / D. Ioannes Christian. Henricus Breidenstein.

Contributors

Breidenstein, Johann Christian Heinrich.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Erlangae : [publisher not identified], 1791.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/x697tk3e>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. IOANNES CHRISTIAN. HENRICVS

BREIDENSTEIN

DE

M O R B I S
L I N G V A E.



ERLANGAE

1791.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b223774x>



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
M O R B I S L I N G V A E.

PROOEMIVM.

Omnis corporis humani partes summa certe constructae sunt sapientia, ad functiones, quibus determinatae sunt, rite peragendas, et earum praesentia ad oeconomiam animalem maxime sane fuit necessaria. Sic, ut unum tantummodo, ex tot tantisque, adferam exemplum, maximam praebet utilitatem, ac de sapientia Omnipotentis egregie testatur praesentia linguae, cum ab ea perplurimae dependeant actiones, ad quas peragendas structura eius multum quoque contribuit. Inter partes oris nem-

A 2 pe,

pe, loquelaes inservientes, lingua omnino prae-
cipuum est organum, nam libero eius motu
variae producuntur vocis modificationes, ad
loquelandam maxime necessariae. Praeterea mul-
tum quoque et ad facilitandam masticationem
alimentorum, et ad eorum deglutitionem con-
fert a). Non solum enim cibos intra partes
oris latentes, dentibus rursus imponit, ut me-
lius masticari possint, sed et alimenta in ea,
quasi in ponte, facilius in gulam transmittun-
tur. Praecipua autem eius functio, ei soli pro-
pria, est gustus, a papillis nerveis, in ea praes-
entibus, ortus. Erectae nempe influxu mate-
riæ nerveæ, ab irritatione papillarum orto,
partes salinas sapiunt, variosque etiam distin-
guere possunt sapores. Ad hasce autem fun-
ctiones, omnium linguae partium debita ac na-
turalis conformatio et structura, nec non de-
bita earum actio, requiritur, quae, laesis his
partibus, certe quoque laeduntur. Variis au-
tem

a) vid. Cl. WENTZ. *Dissert. de deglutitionis mechanismo.* Erlang. 1790. pag. 27.

tem lingua obnoxia est morbis, et cum in eo sim, ut specimen inaugurale mihi exhibendum sit, pauca de *pathologia linguae*, praemissa succincta eius descriptione anatomica, publico et placido Eruditorum submittam examini.

§. I.

Lingua, princeps gustus et loquelae organum, maxima ex parte fibris constat musculosis, cum longitudinalibus, tum transversalibus, ita inter se convolutis, ut vix extirari possint b). Ex iis tamen proficiscuntur, et in eas inseruntur, propria quoque, et a reliquis diversa ac facile separabilia strata fibrum muscularium, quae corpori et cornubus ossis hyoidei, nec non processui styloideo osium temporum, ac maxillae inferiori affixa, linguam cum his partibus connectunt, motum eius augent, ut in omnem partem et tota mo-

A 3

bilis

b) vid. ill. v. H A L L E R. *prim. lin. physiol.* p. 283.

bilis sit, facile se contrahat, producat, ac dilatet, eamque sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum et ad latera movent. Non ex his autem solis lingua composita est, sed, cum animotum muscularum et sensum influxus materiae nerveae, et ideo nervi, ad nutritionem sanguis, et inde vasa requiruntur, multi quoque nervi, vasa arteriosa et venosa, nec non lymphatica, cum glandulis et papillis inter contextum musculosum linguae inveniuntur, quae cellulosa, et pinguedine particulari inter se coniunguntur. Circundantur membrana quadam s. d. reticulari s. corpore reticulari Malpighii. Est involucrum mucosum, et papilli, quae per interstitia eius eminent, pertinaciter adhaeret, easque tegit c). Totum ambitum linguae obducit membrana vaginalis, integrum mentorum faciei et oris, nec non tunicae internae pharyngis, oesophagi et ipsius ventrici

col.

c) vid. ill. v. HALLER. l. c. p. 283. et ill. LUDWIG.
instit. physiolog. p. 187. ill. BLUMENBACHII
instit. physiolog. p. 188.

continuatio. Notantur in lingua corpus, pars media, maxima, basis s. radix, quae ossi hyoideo partim muscularis, partim ligamentis adhaeret, et apex, anterior eius et acuta pars, duae superficies, superior, et inferior, duoque margines, dexter et sinister *d*). In parte posteriore cavitas, cuius circumferentia glandulis referta est, et quae foramen glandulosum s. coecum **MORGAGNI** audit, observatur *e*), et in medio linea longitudinali s. d. mediana lingua in duas dividitur partes. In superficie inferiori ad est ligamentum laxum et perpendiculare, quod elevata lingua extenditur, et vulgo frenulum linguae nominatur *f*).

§. II.

Singulares nunc constituentes linguae partes, anteaquam morbos earum exponam, de-

A 4

scri-

d) vid. ill. **MAYER** *Beschreibung des ganzen menschlichen Körpers IV. Band.* pag. 229.

e) vid. **MAYER** *l. c.* p. 237.

f) vid. **MAYER** *l. c.* p. 231.

scribendas mihi esse puto. In consideratione musculorum linguae sequentes potissimum, in utroque latere eius praesentes, a reliquis fibris separari, et proprii nominari merentur. Musculus *genioglossus*, brevibus fibris tendineis in parte posteriore spinae internae maxillae inferioris oritur, et fibrarum corporis eius expansarum maxima pars in posteriorem linguae partem longitudinaliter inseritur, minor ad os hyoideum accedit, et minima cum fibris musculi constrictoris pharyngis superioris coniungitur g). Ex hac origine, et varia fibrarum directione, varium quoque hunc musculum producere motum, perspicuum est; vel enim maxillam inferiorem deprimit, vel os hyoideum antrorsum et sursum movet, et praeterea linguam ex ore protrahit. Musculus *hyoglossus* partim a corpore ossis hyoidei, partim a cornibus eius oritur, et ideo omni iure in tres diuidi potest portiones, quae diuersis etiam insigniun-

g) vid. ill. LODER *anatomisches Handbuch.* I. Th.

signiuntur nominibus, cum tres diversos con-
stituant musculos b). Sic portio, quae in mar-
gine superiori basis ossis hyoidei, non procul
a cornu maiori, originem habet, musculus *ba-*
sioglossus nominatur. Fibris suis carneis in ba-
sis linguae inferiorem inseritur partem, eam
que retrahit. Musculus *ceratoglossus*, altera mu-
sculi hyoglossi portio, lato carneo principio a
radice cornu majoris ossis hyoidei oritur, et ad
superficiem lateralem radicis linguae accedit.
Eam retrahit, deprimit, et explicat. Ultimae
tandem portionis, quae musculus *chondroglossus*
appellatur, origo est extremitas cornu minoris
ossis hyoidei, et in superficie posteriori ac la-
terali linguae terminatur, ac linguam quoque
retrahit. Actio trium horum muscularorum con-
iunctim, qui in genere sub nomine musculi
hyoglossi intelliguntur, in eo consistit, ut lin-
guam deorsum, ad latera et retrosum moveant,
ac ambo simul eam contrahant. Musculus de-
nique *styloglossus* ab apice processus styloidei

ossum temporum oritur, et fibrae eius musculares in partem lateralem, usque ad apicem linguae, inferuntur. Lingua in retrahit, ad latera quoque movet, et elevat. Vtriusque musculi actione lingua intumescit, eiusque circumferentia augetur *i*). In substantia ipsa musculari linguae stratum fibrarum proprium evolvi potest, quod nomine musculi *lingualis* insignitur *l*). Ortum ex se ipso ante pharyngem et a styloglosso in radice linguae antrorum progrereditur, in genioglossum terminatur, neque exiguum linguae constituit partem *m*).

§. IV.

Ad motum huncce musculararem necessaria omnino fuit nervorum praesentia, ut influxus materiae nerveae per eos fieri possit, et permulti quoque, pro volumine linguae, in eam inseruntur

i) vid. LODER *anatomisches Handbuch*, 1. Tb.

p. 510. et MAYER l. c. pag. 235. 236.

l) vid. LODER *l. c. pag. 511.*

m) vid. HALLER. *prim. lin. physiolog.* *p. 283.*

seruntur nervi. Tria enim paria nervos ei suppeditant, et tribus etiam ac diversissimis gaudet facultatibus, omnibus tamen a nervorum actione dependentibus; praeter motum nempe, sensu tactus, et gustu, ei tantum proprio, praedita, nervisque igitur, utrique facultati inservientibus, instructa est. Quintum scilicet par nervorum, nervi *trigemini*, ex pedunculis cerebelli medii ortum, in tres dividitur ramos, quorum tertius, nervus *maxillaris inferior*, per foramen ovale ossis sphenoidei ex crano egreditur, et rursus in duos separatur ramos. Secundus horum ramus, nervus *lingualis internus s. gustatorius*, data chorda tympani, aliisque ramulis ad musculos, vicinos ad linguam accedit, ad apicem eius pertingit, et gustui potissimum iuservit n).

Par octavum, *nervi vagi*, a corporibus olivaribus oritur, et tres praecipue ab eo observantur rami. Primus ramus *linguale*, muscularis linguae perinultos suppeditat ramulos, basin linguae secundum

n) vid. HALLER. prim. lin. physiolog. p. 282.

cundum os hyoideum profunde subit o) et sensui proprio dicatus est. Ex neuro tandem pariter nervus insignis linguam adit. Corpora olivaria origo huius paris sunt, et maximus eius ramus, nervus *hypoglossus*, qui per foramen condyloideum anterius ex crano exit, et cum primo cervicis nervo ac magno ganglio cervicali anastomosi coniungitur, in parte posteriore et media linguae, in omnes eius musculos expanditur p), et motum praecipue linguae efficit q), unde etiam nervi paris noni, linguae motorii audiunt. Praeter copiosos et insignes nervorum ramos, qui in lingua distribuuntur, per multa quoque eam adeunt vasa, et arteriosa et venosa, nec non lymphatica. Arteria lingualis, a carotide externa orta, in utroque latere in duos dividitur ramos, qui linguam accedunt. Primus eorum, arteria *sublingualis*, praecipue glandulae sublinguali sanguinem advehit, et arteria

ra-

o) vid. V. HALLER. l. c. p. 282.

p) *Ibidem.*

q) vid. BLUMENBACH. l. c. p. 189.

ranina in substantiam linguae ipsam inferitur. In radice eius arteriae palati et faucium ramos quoque ei suppeditant. Vasa venosa sunt, praeter nonnullas minores, duae insignes venae, quae sub lingua conspicuntur, ob colorem *raninae* nominantur, et a venis iugularibus oriuntur r). In parte posteriori linguae lymphatica etiam inveniuntur vasa, quae in glandulas colli lymphaticas abeunt.

§. V.

In superficie superiori linguae, et ad basin et ad latera, maxime autem ad apicem eius, multae adsunt papillae, exiles quidein, sed evidenter, quam in cute s), quae erectis vaginulis tunicae externae linguae propriis supponun-

r) Vberiorem linguae vasorum descriptionem vid. in ill. T R E W epistola ad Albert. H A L L E R V M de vasis linguae salivalibus atque sanguineis. recens. in commerc. litter. Norimberg. An. 1734. p. 262.

s) v. H A L L E R. l. c. p. 280. L V D W I G. l. c. p. 186.

ponuntur t). Multum autem inter se sunt diversae, et duo ratione functionis assumuntur genera; nonnullae enim mucum excernunt, quo linqua obducitur, ne ab acrimonia alimento laedatur, nonnullae gustui propriè inserviunt. Primi autem generis duae rursus et diversissimae dantur species. In postrema linguae parte enim ad utrumque latus foraminis coeci fungiformes u), fere conicae inversae, et fovea circumdatae v), disponuntur papillae, substantia vasculosa, quae gustui exercendo dictatae non sunt, ut et ovato cylindricae, spongiosae magis, quae in superficie linguae superiori et circa eius apicem dispersae inveniuntur. Sunt minores prioribus ac teneriores, tenuemque mucum ambo excernunt x). Vera autem gustus organa sunt papillae conicae, versus apicem inclinatae, quae ex substantia ner-

vea

t) vid. BOERHAAVE *institut. med.* p. 240.

u) V. LUDWIG. l. c. p. 187.

v) V. HALLER. l. c. p. 280.

x) V. HALLER. l. c. p. 231.

vea constant. Ad latera anteriora et apicem linguae copiosius positae sunt, pauciores autem versus radicem inveniuntur y). Accedunt ad has papillas multi nervuli vasis intertexti z). Obducuntur et tenui imuco, et membrana vaginali, ne nimium afficiantur, et inde doleant. Multae insuper in parte superiori, praecipue ad basin linguae, circa foramen coicum M O R GAGNI, in ea reperiuntur glandulae simplices, mucum secernentes, et in superficie eius inferiori glandulae sublinguales sedem habent, in quarum extremitatibus anterioribus ductus salivalis s. d. Whartonianus adhaeret a).

§. VI.

Haec sunt, quae de structura linguae proferenda mihi videbantur, eaque nunc descripta, ad morbos linguae describendos me conuerto.

In

y) v. HALLER. *element. physiol.* T. V. p. 102.

z) vid. MAYER l. c. T. V. p. 349.

a) vid. MAYER l. c. T. IV. p. 265.

In considerandis muscularum morbis praecipue ad *laesione motus*, qui varie alterari potest, respiciendum est. Augetur nempe, vel languescit, vel plenarie tollitur, variisque hi morbi insigniuntur nominibus. *Spasmus* itaque dicitur *contractio invita*, constans vel interpolata, muscularum motui locali proprie inservientium, voluntati non respondens b). Est vel *tonicus*, *contractio constans* cum rigiditate et immobilitate artuum, vel *clonicus*, alternâ partis convulsa agitatio invita, coacta, non libera. Utique et in lingua, eiusque muscularis, observatur, qui variis causis hoc morbo afficiuntur. *Contractione* hac spastica lingua rigescit, et vel immobilitas c), vel, si alterni musculi contrahuntur, invitus et convulsivus eius sequitur motus d). Sensibilitas linguae perdurat, immo

b) vid. ill. SAUVAGES nosolog. T. 2. P. 2. p. 1.

c) vid. commerc. litt. Norimb. ann. 1736. p. 202.

d) vid. ill. BOERHAAVE praelect. acad. de morbis nervor. p. 642.

summo saepe dolore hic m̄orbus coniunctus
 est. Facile secundum hanc definitionem spaf-
 mus linguae cognoscitur, quamvis et in alio
 quoque morbo linguae, in paralyſi eius, ſicuti
 in spafmo tonico, immobilitas obſervetur, quam
 autem ordinarie insensibilitas et laxitas muſcu-
 lorum concomitantur. Differt autem inter ſe
 spafmus linguae, ratione vehementiae ſympto-
 matum, moleſtiae, et periculi cum eo coniun-
 cti, pro diuersitate muſculorum affectorum, et
 gradus laeſionis, eoque maior est, ſi substan-
 tia ipfa linguae muſcularis afficitur. Cauſa in
 genere eſt inaequalis et violentus influxus mate-
 riae nerveae in muſculos linguae, quatenus muſcu-
 li per vim huius materiae, in fibras eius motri-
 ces immissae, moventur, et quatenus motus na-
 turalis ab influxu eius aequali et naturali de-
 pendet; quidquid ergo nervosum genus irritare,
 irregularē quoque materiae nerveae motum pro-
 duce valet. Variae autem cauſae remotiores
 huic inaequali influxui et irritationi ſystema-
 tis nervorum anſam præbent. Sic inanitior et

evacuatio nimia sanguinis et aliorum humorum, plethora quoque ac repletio e), acrimonia humorum, quae nervos irritat, materia morbosa exanthematica, non satis cocta, retrorpulsa, acria mechanica linguae applicata, et irritamenta varia musculorum eius spasnum efficere possunt, qui et interdum periodicus est. Maximis certe et periculis hic morbus coniunctus est incommodis; non solum enim loquela valde impeditur, cum lingua eius praecipuum sit organum; sed et deglutitio et manducatio, quae multum a libero et voluntario linguae motu dependent, laeduntur.

§. VII.

Non minus periculosa ac molesta est *linguae paralysis*, *glossolysis*, quo nomine movendi impotentia plenaria musculorum eius, vel magis vel minus constans, insignitur. Lingua flaccescit, et saepissime praeter motum sensibilitas quoque in muscularis affectis deest, nul-
lusque

e) v. Ill. LUDWIG. *institut. medic. clin.* p. 304.

lusque sentitur dolor; aliquando tamen vermes quasi repentes percipiuntur, et levis stupor, sensusque punctorius superest f). Ex impedito linguae motu oritur *alalia*, (quae autem distingueda est ab aphonya, morbo, non ab affectione praeternaturali et morbosa partium linguae, sed ab aliis caussis, hic minime a me recensendis, oriundo, in quo ne sonus quidem edi potest), et simul cum ea difficultis coniuncta est deglutitio, et ciborum in ore volutatio g). Varii autem huius morbi sunt gradus, prout nempe vel ipsa linguae substantia, vel variii eius musculi afficiuntur. Sic observatur semiparalysis b), ut et nonnunquam paralysis imperfecta, ita ut linguam inovere quidem atque extra os exferere, at ne vocabulum proferre

B a possint

f) vid. BOERHAAVE *aphorism. de cognoscend. et curand. morb. Aph.* 1057. p. 260.

g) vid. ill. *de SAVVAGES nosolog. Tom. 3.*
p. 337.

b) vid. *Nov. act. acad. nat. curios. T. 2. Obs. 58.*

possint aegri i). Aegri vel cito glossolysi corripiuntur, vel sensationes ingratae eam prae-eunt, et saepissime apoplexiam non solum sequitur, ac pro minori eius gradu haberri potest, sed saepius quoque illam praecedit, et ex suis quoque caussis sola oritur. Quum enim motus muscularis linguae ab influxu materiae nerveae in musculos moventes dependeat, sequitur, caussam proximam glossolysis, in qua motus plenarie deest, in transitu fluidi nervi in nervos linguae, musculis dicatos, denegato, qui praecipue in origine nervi impeditur, quaerendam esse. Non solum ergo ad morbos muscularum, sed quoque ad nervorum affectiones morbosas, ut et spasmus linguae, referenda est paraly sis eius, quae etiam ab omnibus caussis, introitum sanguinis arteriosi in musculos linguae prohibentibus l), oritur. Caussae remotiones occasio nales sunt plethora, quum per vas sanguifera, sanguine nimis repleta, nerv

com

i) vid. *Commerc. litter. Norimb. Ann. 1749.* p. 30l) vid. BOERHAAVE *aphor.* 1059.

comprimantur, quod facile ex plethorae signis cognoscitur *m*). Sanguinis spissitudo, materia rheumatica, scrophulosa, scorbutica, arthritica, venerea, scabiosa, retropulsa et ad nervum ducta, cuius compressione influxus materiae nervae tollitur *n*), crasis humorum vitiata, et eorum inopia, circulationis torpor *o*), dolor ingens et diutinus *p*), omnia, quae arteriosa, venosa lymphatica vasa interioris cerebri ita solvunt, ut liquor extravasatus et accumulatus, compressu origines nervorum, linguam accedentium, laedat *q*). Saepius etiam sanguis vel serum, inter tunicas et telam cellulofam nervi stagnans, paralysin producit, ut et vulnera nervis inflictæ, et convulsio diu tolerata *r*). Hemiplegiam plenariam non raro concomita-

B 3 tur,

m) SAUVAGES l. c. T. 3. p. 357.

n) LUDWIG. institut. therap. special. p. 299.

o) GAVE. patholog. p. 414.

p) BOERHAAVE aph. 1060.

q) BOERHAAVE aphor. 1010.

r) SELLE medic. clin. p. 382.

tur s), et omnino summam medici requirit curam.

§. VIII.

Vasorum sanguinem arteriosum vehentium diameter ita constituta, ut sanguis facile ac sine incommodo per ea fluere possit, sensim sensimque ita decrescit, ut ultimi eorum fines in vasa serosa abeant, quae in naturali statu sanguinem rubicundum non vehunt. Variis autem cauissis et in minimis his arteriis sanguiferis sanguinis stagnatio oritur, et in vasa quoque serosa globuli sanguinei impelli, ibidem stagnare, ac vasa distendere possunt. Stagnatio sanguis acrior factus canales irritat, et hi contractione spastica violentiori impetui sanguinis a corde impulsu, resistunt, ac motus intestini stagnantis cruroris, cessante motu progressivo augetur, unde inflammatio eius partis oritur quam in parte affecta durities, calor, dolor tumor concomitantur, et in externis partibus

rub

s) vid. ill. SAUVAGES nosolog. T. 3. p. 337

rubor quoque observatur. Resistentia hac spastica vasorum minimorum, a simplici inflammatio distinguitur errore loci. Non in parte affecta autem solum, sanguinis stagnationem efficit phlegmone, sed omnem quoque eius mixtionem depravat, ac diathesin phlogistica inducit. In omnibus itaque partibus corporis nostri, quae vasis praeditae sunt, inflammatio oriri potest, et cum magno fane periculo plurimae coniunctae sunt. Ad periculosissimas autem certe referenda est *inflammatio linguae, glossitis t)*, quam simul maxima sequitur molestia. Est ergo glossitis stasis sanguinis, in ultimis linguae arteriarum finibus vel vasis serosis, cum motu intestino eius aucto, unde symptomata, cum ea coniuncta, facile derivanda sunt. Cum enim maior invasa linguae inflamatae adsit adfluxus, quam transitus sanguinis, praeternaturaliter colligitur

B 4

et

t) Conf. cel. Io. BODE Diff. de *glossitide*, sub praesidio ill. BEIREIS Helmstadii h. a. habita, quam videre mihi nondum contigit.

et accumulatur, ac parietes vasorum distendit; hinc tumor linguae oritur, qui interdum ita augetur, ut ex ore lingua protrahatur u). Aucto sanguinis motu intestino, cessante motu progressivo, calor crescit, et accumulatus sanguis, vasa distendens, ac stagnatione acrior factus, ea rodit, et partes vicinas quoque, numis eas tendendo, laedit, obstru-

u) Observavit talem tumorem ill. van SWIETEN, (vid. Eius Commentar. in Boerhav. aphorism, T. II. p. 626.) in muliere sexagenaria iam maiore, eumque sic describit: "Post meridiem, inquit, senserat levem quasi asperitatem in lingua, vesperi deinde dolorem circa linguæ radicem, qui cito locum mutans linguæ apicem occupabat. Adeo subito ingravescebat malum, ut circa medium noctis sequentis vocatus, invenerim aegram fere suffocatam, nihil omnino deglutire valentem. Lingua autem tumidissima, totum oris cavum replens, deformem penitus molem carneam referebat." Validis venaefectionibus et acribus clysmatibus injectis malum sensim depellebatur.

structione etiam vasorum nervi comprimuntur, unde lingua dolet. Sanguis denique in vasa impulsus, quae in statu naturali non sanguinem rubrum, sed serum vehunt, ruborem efficit. Optime Ill. V O G E L v) symptomata in glossitide praesentia, cum sedulitate ab eo observata et collecta, sic enarrat: sub febrili fri-
gore, quod calor praeternaturalis excipit, lin-
gua subito dolet et intumescit. Loquela et de-
glutitio mox difficulter peragitur. Dolor atque
tumor in dies increscunt. Saliva spissior spon-
te nunc ex ore continuo profluit x). Loquela
et deglutitio perit. Facies rubet. Caput dolet.
Vigilia nocturna est. Lingua plane moveri non
potest, et ob tumorem praeimum ex ore
protruditur. Os ideo hiat, fames et sitis ae-

B 5 grum

v) vid. E I V S *praelection. academ. de cognoscendis
et curandis praecipuis corporis humani affectibus.* p. 130.

x) vid. S E L L E *Rudiment. pyretolog. method.*

p. 121.

grum vexat. Spiritus difficulter ducitur. Suffocationis periculum tandem imminet y).

§. X.

Causa proxima glossitidis est stagnatio sanguinis, quae impetu eius augetur. Hanc stagnationem in arteriis minimis caussae occasioales fere innuimerae efficiunt, quarum tamen nonnullae adducendae sunt. In genere huc referri meretur, quidquid maiorem impetum fluidorum in vasa minora producit; non iusta enim velocitate in his moventur, et ideo, cum nova semper sanguinis columnna, a corde propulsa, subsequatur, ibidem stagnat; quidquid ergo solida irritat, et fluida condensat, quippe quod caussa inflammatoris in genere est; lento phlogisticus, acrimoniae variae applicatae, venena, attritus nimius cum aliis corporibus asperis, vulnera, contusiones, metastasis materiae morbosae, su-
dores

y) Conf. BVRSERII de KANILFELD *institut.*

medic. pract. Vol. III. p. 342. Edit. Lips.

dores suppressi z), angina, gonorrhœa etc. adstringentibus sanata, spasmodica omnium il- lorum vasculorum diu perdurans contractio, et permultae aliae inflammationi linguae an- fiam praebent caussæ procatarcticae, ad quam plethora vera, et ipsa linguae laxitas iam pre- disponunt. Rarissime quidem hic observatur morbus a), sed maximo certe coniunctus est periculo; non solum enim omnes actiones, a lingua dependentes, impediuntur, immo respiratio quoque laeditur; sed eo periculum magis etiam augetur, quod nulla fere adhi- beri possint remedia interna, ad emendandam sanguinis crasim, et diathesim phlogisticam re-

fol.

x) Casum glossitidis ab hac caussa Ill. W E N D T praeceptor et fautor meus, ad cineres usque colendus, describit in *fünfte und sechste Nach- richt von dem Kranken - Institut zu Erlangen.*

pag. 57. 58.

a) Exempla vid. in *Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 7.*

obs. 51. Caussas, propter quas rarissimus est hic morbus, disquisivit cel. B O D E l. c. §. 13.

solvendam, et ipsa externorum remediorum applicatio valde difficilis redditur, ac longiori duratione periculum semper crescit; ad vicinas enim quoque propagatur partes, et nisi resolutione aut coctione tollatur, tristissima sequuntur symptomata. Suppuratione enim superveniente lingua eroditur, et ulcera maligna oriuntur *b*); gangraena autem et sphacelus, quem lingua nigra denotat, si subsequuntur, totam eius substantiam et partes adiacentes corrumpt, aegerque miserrime perit. Adsunt quidem exempla feliciter superatae glossitidis; acutissimus autem semper est morbus, dum intra paucos dies suffocatione iugulare potest.

§. XI.

b) Exempl. linguae tumentis suppuratae, cum enormi salivae fluxu vid. in *Nov. act. acad. Natur. Curios.* T. I. Obs. 44. p. 185.

§. XI.

Linguae iusto mobilioris motu deglutorio in fauces revolutio, *glossocele c)* sive hernia linguae audit *d).* Observatur hic morbus praecipue in recens natis, frenulo praeter necessitatem et ultra modum secto. Frenulum nempe, linguae ligamentum elasticum et musculosum, a symphysi maxillae inferioris ortum, et linguae superficiei inferiori insertum, nimiam eius volubilitatem coercet. Motus autem linguae frenulo iusto breviori nimis impeditur, cum linguam papillis non adinovere, neque fugere possint infantes, eiusque sectio inde tunc requiritur, quae non-

nun-

c) Ill. v o g e l glossocelen violentam et acutam linguae extrusionem esse dicit in *praelect. suis academ. de cognosc. et curand. C. H. affect.* p. 389.

d) V. G A V B I I patholog. p. 115. et ill. *de s A U V A G E S N o f o l. T. 2. p. 97.* Paraglosse deglutoria, linguae voratae resolutio in fauces *Petiti.*

nunquam autem praeter necessitatem et praepostere instituitur. Symptomata vero subsequentia maxime quoque in utroque casu saepe sunt periculosa. Praeter haemorrhagiam enim, quae saepius difficillime sistitur, lingua, frenuli nimia sectione iusto mobilior reddita, in fauces revolvitur, quae revolutio in recens natis, fugendi cupidis, deglutitione sanguinis, ex vasibus sanguiferis dissectis effluentis, valde promovetur et facilitatur e). Maximo mortis periculo coniunctum est hoc malum, nec tristia huius rei desunt exempla. Lingua enim, naturalem tunc servans magnitudinem f) intra ostium pharyngis impacta haeret g), et transitum aeris impedit, inde saepissime suffocatio subsequitur, praecipue cum lingua nullo eius motu naturali situm hunc mutare possit, quia cuncti ad deglutitionem tendunt. Optime hunc morbum descri-

e) Vid. G A V B. loc. cit.

f) Ill. de SAUVAGES Nosolog. T. 2. p. 97.

g) G A V B I I patholog. p. 115.

scripsit Ill. PETIT b), plurimosque casus nobis retulit, quorum unum adducere mihi liceat. In infante recens nato frenuli sectionem, quinque horis praeterlapsis, suffocatio sequebatur, et operatio instituta mortis causa habebatur. Ill. PETIT, cui sectio caderis tradita fuerat, digitum ori immisit, et nullam inveniens linguam, sed eius loco massam carneam, viam a cavo oris ad fauces obstruentem, duas buccas usque ad musculos masseteres dissecuit, et linguam revolutam atque intra valvulam gulæ (sub quo nomine Vir Illustris sine dubio velum palatinum intelligit) impactam observavit; apex eius versus pharyngem contortus erat, quo conatus deglutiendi eum impegerant. Et in adultis quoque, nec non in infantibus, nulla instituta frenuli sectione idein observatur morbus, eademque eum concomitantur symptomata. — Retrahitur quoque lingua, sed non revolvitur, paralyssi muscularum linguam pro-

b) Vid. *Act. acad. Paris.* Ann. 1742. p. 248. sq.

protrahentium, ut multum a dentibus anterioribus distet. Ab omnibus causis, paralysin linguae efficientibus, oriri potest, sicut simili modo linguae exsertio a paralysi muscularum, linguam retrahentium, vel spasmo tonico aut clonico muscularum protrahentium oritur. Lingua involuntarie ex ore extruditur, et in priori casu semper exerta manet, quam diu paralysis, ut morbus primarius, perdurat; in altero autem per intervalla tantum eius exsertio observatur. In duobus his morbis, *paraglosse* nempe *retractoria i)* et *exertoria l)* Ill. SAUVAGESII *m)*, naturalem lingua servat magnitudinem, deglutitio autem, nec non loquela valde impediuntur.

§. XII.

i) Retractio, contractio linguae GORTER. Syst.

prax. med. T. II. p. 15.

l) Linguae extrusio GAVBII. Linguae exsertio GORTER. l. c.

m) Vid. EIVS *Nosolog.* T. 2. p. 98. et 99.

ubi de exertoria casum refert de pueru an-

§. XII.

Laeduntur quoque hae functiones *tumoribus* variis, qui in lingua observantur. Praeter tumores enim, ex inflammatoria humorum stasi, de quibus iam in §. VIII. locutus sum, substantia linguae, tali modo, ut saepius in ore contineri non possit, aliis etiam cauiss intumescit. Sic iam tumores linguae congeniti, quamvis raro, obveniunt *n*), quibus linguae moles varie augetur. Tumet praeterea ex catarrhali in eam deflu-

xii

nos nato duodecim, cui in praeludio variolae convulsionibus per biduum divexato lingua convulsive per intervalla mire exerebatur, et maximam partem extrudebatur.

n) vid. ill. *vogel* *praelect. acad. de cognosc. et curand. 6. H. adfect. p. 132.* ubi exemplum adfert talis tumoris congeniti in infante, qui iam tertium egerat annum, et loqui non valebat. Lingua in latum magis extensa erat, in totum vero tumida cum mollitie. Ex ore perpetuo saliva emanabat.

C

xu o), ex venae iugularis compressione p) dum impedito cruoris reditu lingua sanguine accumulato turget. Ab hydrargyri nimio et minus cauto usu q), a defluxione seroso-pituitosa in linguam facta r), ab affluxu humorum vitiosorum, a morbo venereo, et nonnumquam a materia venenosa s). Observantur quoque tumores scirrhosi et cancrosi, linguam occupantes t), et *Marcellus DONATVS u)* exemplum adfert, variolas etiam, linguam magna copia occupantes, insignem eius produxisse intumescentiam; omnibusque his tumoribus suffocationis periculum non raro inducitur.

o) vid. *Marc. DONAT. hist. med. mirab. Lib. 3.*

C. 4. p. 241.

p) vid. ill. *de GORTER med. compend. Tract. 19.*

§. 75. p. 83.

q) Casum vid. in *Marc. DONAT. l. c. p. 242.*

r) vid. ill. *SAUVAGES nosolog. T. 2. p. 98.*

s) vid. ill. *VOGEL l. c. p. 132.*

t) Ill. v. SWIETEN. *comment. in Boerhav. aph. T. 11. p. 627.*

u) vid. *EIVS l. c. p. 242.*

citur. Excrecentiae fungosae linguae huc quoque referendae sunt, quibus etiam magnitudo eius vel magis vel minus augetur. Omnes hitumores, saltem priores, quos ill. v. SWIETEN^{v)} sub nomine paragloss. glossomegisti comprehen-dit, maxima molestia, magnoque ex tensione nervorum dolore, coniuncti sunt. Ex transla-tione materiae arthriticae, vel rheumaticae, vel venereae, acutissimus etiam oritur *linguae dolor*, qui *glossagra* nominatur. Nervi enim, materia hac extranea, praeternaturaliter afficiun-tur, unde motus materiae nerveae incitatur, sensusque ingratus menti imprimitur. Dolor tamen, ratione materiae translatae varietatis, di-versus est vehementia, et maximus a materiae venereae metastasi sentitur; virus enim vene-reum magis irritat, ac solida erodit.

§. XIII.

Augetur quoque moles linguae *ranula* s. d. sub lingua, tumore variae magnitudinis hoc in-signito nomine, ob similitudinem cum tumore

C 2 maxil-

^{v)} vid. EIVS nosolog. T. 2. p. 98.

maxillae inferioris ranarum, in inspiratione oriente. Sedes eius est regio frenuli linguae, et vel in utroque latere, vel in uno tantum, vel in medio, observatur. Ad tumores pertinet folliculosos, quin in hoc morbo glandulae sublinguales praeternaturaliter tumeant; sed ex obstruktione quoque et dilatatione ductus salivalis ori posse, experientia et observata virorum omnifide dignorum docent x). Varii sunt hi tumores et ratione magnitudinis, et coloris, et materiae in iis contentae, cum nonnullae mucum tantum, aliae concrementa lapidea y), nonnunquam materiam cancrofam, contineant, unde et in benignam et malignam sive cancrofam dividitur. Moles interdum tanta est, ut duae adesse videantur linguae z), eoque maius tunc est

peri-

x) vid. NICOLAI *pathol.* B. I. p. 150. et CALLISEN *institut. chirurg. hodiern.* p. 154.

y) vid. Commerc. litter. Norimh. Ann. 1732. p. 386.

z) vid. SCHROEDER von einem grossen tumore eystico an der Zunge etc. in SCHMUCKERS

ver-

periculum, cum eo morbo coniunctum, quod omnes a lingua dependentes actiones necessarie laeduntur. Est vel morbus primarius, vel secundarius, et linguae morbos non solum praecedit, sed eos quoque nonnunquam sequitur. Caussae in genere sunt sanguinis et humorum spissitudo, ac cacochymia phlegmatica et melancholica; inde et ordinarie catarrhales capitatis affectus hunc morbum praecedunt a). Varias ranulae magnitudo, atque varietas materiae, quam continet, maius vel minus inducunt periculum; et quamvis interdum tollatur morbus, letalis tamen quoque esse potest. — Paucis quoque adducendum mihi esse credo *glossanthracem*, morbum linguae, plerumque boves,

C 3 equos,

vermischten chirurgischen Schriften. 3. Band.

p. 322

a) vid. H. v. HALLER *Beyträge zur Beförderung und Heilung der Krankheiten, aus dessen Sammlung praktischer Streitschriften in einen vollständigen Auszug gebracht und mit Anmerkungen versehen von D. L. GRELL.* T. 4. p. 564. sq.

equos, mulos, nec non etiam interdum homines, invadentem b). Est lues, qnae ad radicem usque linguae anthracem profert, et paucis diebus tota sensim exeditur lingua, quaerosa penitus illico mors sequitur.

§. XIV.

Vulnera, contusiones, abscessus c) et ulcera, nec non *pustulae variae, aphthae ac hydatides,* linguam obsidentes, morborum eius augent numerum. Praeter ulcera variii generis, et cancrosa quoque, a materia acri erodente, nec non a laesione externa, oriuntur, ac maximo coniuncta sunt periculo, ut et haemorrhagia vulnerationem excipiens, solutio continui ipsa, ac suppuratio subsequens, et praeterea manducatio-

b) vid. ill. *de SAUVAGES Nosol.* T. 2. p. 360.

Io. Iac. SCHEVCHZERI *fiegender Zungenkrebs, eine Vielseuche, welche anno 1732. die eydgenossische Lande ergriffen.* Tiguri 1752. 4.

c) vid. Nov. act. acad. Nat. curios. T. 2. Obs.

77. p. 299.

cationem et deglutitionem ac loqueland, cum reliquis, modo adductis et adducendis, maxime impediunt d). Nec desunt linguae fere praemorsae exempla, ut cicatrices superflites loqueland interdum valde impedian e). Et ill. **T R I L L E R** f) rarissimum, quem *Iacobus HORSTIVS*, Vir omni fide dignus, ipse attente vidit et candide in Commentar. in Hippocrat. Libr. περὶ πάθων descripsit, nobis retulit casum de lingua a dira variolarum lue, in puerο septem circiter annorum, usque ad radicem prorsus absumpta ac frustatim eiecta, postea vero sensim sua sponte renata, ut rursus loqui potuerit puer. In *superficie* tandem linguae praeter naturales eius adsunt qualitates, quas silentio haud praetereundas eo minus existimo, cum in Semiotica magnum constituant momentum, et perplures ex his linguae vitiis cognoscantur.

d) vid. **GORTER** *System. prax. med.* T. 2. p. 15.

e) vid. Ill. **LUDWIG** *advers. med. pract.* Vol. 2. P. I. p. 292.

f) vid. **EIVS** *Opusc. med.* Vol. 2. p. 293.

cognosci possint morbi g). Lingua enim sana in statu naturali est pura, aequalis, humida, calida, mollis, carnei coloris b), a vitiis autem primarum viarum ex indigestione, a cruditatis in ventriculo praesentibus, a salivae et mucorum oris corruptela, ab alimentorum ingestorum corruptione, permultisque aliis caussis lingua redditur squalida, mucosa et foddida i), variisque in morbis, diversum habent fortes colorrem, variaeque sunt consistentiae. Ab inopia humidi, quo mollis servatur, fit aspera, glabra et quasi exusta; a dispositione phlogistica calor eius augetur, inde ardens quasi percipitur. Defectus salivae, quae humiditatem eius, quam maxime necessariam ad gustus sensum, producit, sicciam eam reddit; unde gustus, cum particulae salinae solvi non possint, minuitur, vel in maiori

g) vid. per illustr. DELII, Fautoris ac Praeceptoris aeterna pietate venerandi, *Prim. lineae Semiologyae pathologicae pag. 99.*

b) vid. GORTER l. c.

i) vid. cl. GEWINNER *Dissert. de lingua squalida. Erlangae.*

maiori siccitatis gradu, plane abolitur. Ab inflammatione praegressa infarctus vel scirrus in lingua nonnunquam remanet, ac naturalem mollitiem in duritiem convertunt, ut et in inflammatione ipsa tumor eius adeat durus. **Ab** influxu sanguinis rubri rubicundus et carneus eius oritur color, huius ergo defectus colorem album et pallidum inducit, ac alii ex variornm humorum varia corruptione oriuntur eius colores *l).* A laxiori linguae partium nexu, linguae cohaesio laxior, et nimia inde oritur eius mobilitas. Aspera quoque fit lingua pilis longiusculis nonnunquam in ea praefentibus; de quibus Amat. Lusitanus exemplum ad fert, qui tales observavit pilos, semper renascentes, et si evellebantur *m).* Omnibus his

lin.

l) vid. *de GORTER l. c. p. 15.*

m) v. MARCELL. DONAT. *l. c. p. 615.* Tales pilos, cum glossanthrace in lingua bovina observatos, descripsit et delineavit SCHEVCHZERVS *l. c. fig. D - H. K - N.*

linguae vitiis magis vel minus actiones eius laeduntur; cum summa tamen semper coniuncta sunt molestia, et gustus quoque, sensus linguae proprius, vel augetur, vel imminuitur, vel plane aboletur. — Sufficient hactenus de morbosis linguae affectibus dicta, eaque ut Lectores Benevoli, iuvenili indulgentes conamini, aequi bonique consulant, enixe rogo, quoque.





T H E S E S.

I.

*Venaesectio in inflammationibus interdum plus nocet
quam prodest.*

II.

Omnis sensatio fit per contactum.

III.

*Non operandi modus, sed saltem gradus venena
a medicamentis distinguit.*

IV.

*Catheter non semper calculi praesentis certus est
index.*

V.

Sicca coena noxia.

VI.

Epispastica sunt remedia antiphlogistica.

VII.

VII.

Nullis utantur sani medicamentis.

VIII.

Sola putredinis signa mortis evincunt certitudinem.

IX.

Optima remedia sine diaeta convenienti nihil prosunt
